

1. *Medium in quo sumus electi*, hocque extra nos quærendum esse, unicum meritum Christi allegandum esse, nulla potuit esse *euðoxia* (beneplacitum) DEi erga peccatores, nisi in Mediatore Christo.
2. *Medium, per quod, seu secundum quid sumus electi*. Hoc dicunt esse *in nobis*, licet non *à nobis*; Intelligunt autem fidem in Christum. Hæc iterum quoad sensum bona.

V. Secundum ordinationem mediorum.

Media ex parte DEI gratiæ oblationem, & collationem notant.

Medium ex parte hominis applicationem gratiæ.

VI. Secundum prævisionem.

1. *Vocabulum hoc adhibeo*, non enim tantum ad voluntatem DEi in hōc actu nudè respiciendam, sed & ad scientiam & prævisionem, nam Prædestinatio sine præscientiâ esse nequit. *Potest autem prius sine posteriori esse teste Augustinô.*
2. *Prævisio non prout generalissima*, sed ut spectat ad electos consideranda. De priori Job. XXVIII, 24. de posteriori 2. Timoth. II, 19. agitur.

VII. In fide.

1. *Non fides seorsim ingreditur electionem*, sed *conjunctim unâ cum meritô Christi*. Fides, *non ut causa distincta à meritô Christi consideratur*, sed accuratè loquendo meritum Christi & fides, *sunt una causa electionis*.

Debemus integrum spectare copulatum, seu *meritum Christi fide apprehensum* constituit causam electionis impulsivam, ita ut nec meritum sine fide, nec fides sine meritô, sed meritum cum fide conjunctum, tanquam unum copulatum DEum in negotiô electionis moverit.

2. *Fides considerari hōc locō debet*, *natione suæ non intrinsecæ dignitatis*, sed *extrinsecæ*, quæ ei ab extra accedit, nempe à thesaurō seu objectō, quod apprehendit.

3. *Fides hīc non consideratur in prædicamento absolutō*, ut est qualitas aut actio, sed *in relativo* quatenus correlatum ejus meritum Christi est.

4. *Fides hīc consideratur non quatenus est causa meritoria*, sed *quatenus est instrumentalis*. Græci dicunt nos esse electos *Διὰ τὴν πίστιν* non *Διὰ τὴν οἰκουμένην*. *Διὰ cum Genitiū notat instrumentum, cum accusatiū notat meritoriam causam.*

5. Quan-